

1732.

1. Günther, Christianus Adolphus: De fide vasallitica.
2. Höglingerstedt, Joham Elias: De crimine queri per nullum contra ministros principis.
3. Klimpelius, Christianus Goulet: De juramento cedentis.
4. Lange, Johannes Friedrichus: De sententia repositiva auctoritatem rei judicatae in quibusdam causis non impetrante.
5. Meinicke, Bertholdus Henricus: De natura et effecta societatis.
6. Resharth, Tobias Tac.: Potissima capita invalidae mulierum intercessionis pro efficaci prosperam habet.
7. Resharth, Tob. Tac.: De eo, quod circa prohibitionem iurati, per documenta iustam est.

8. Reinkarthus, Tobias Tac.: De coartis in criminibus
ejus effectu
9. Reinkarthus, Tobias Tac.: De rerum uxoris
in marito hereditarium favore et quibusdam cautionibus
eorum causa attendendis
10. Reinkarthus, Tobias Tac.: De eo quod circa reum
ex presumptionibus convincendum et condemnandum
justum est.
11. Reinkarthus, Tobias Tac.: De prohibitionis civilis
et criminosis: eorum et inconvenientia.
12. Reinkarthus, Tobias Tac.: De arbitrio patris et
jure matris in nuptias filiarum.
- 13^o Reinkarthus, Tobias Tac.: De duarum vel plurium
jurisdictionum in una eademque causa conflictu.

2 5 sept. 1732 - 1748

14. Rodig, Jannil Breuerich: De jure privato
circa ritus, in primis caednes, et motu restricto
15. Schorckius, Hieron. Frid: De restitutions gestorum
a patre procuratore
16. Schorckius, Hier. Frid: De constituto possessorio
in legibus Romanis non fundato.
17. Kappel, Joh. Goufred: De adulterio matrimo-
nium non dissolvente
18. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus
l. b. s. (ad disputandum in univ. Christiani
Grossi Kampelii invitat).
19. Streit, Franc. Philippus, Facult. juridicae Decanus:
l. b. s. (ad disputandum in univ. Demetrii Breuerich
Rodigi invitat).
20. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus:
l. b. s. (ad disput. in univ. Franc. Frederici Longii invitat)

22. Struht, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.
(ad Disputationem in aq. Dr. Gottfriedi Stuppelii invitata.)
23. Stuhlmannus, Dr. Henricus: De restitutione in integrum
liberis contra parentos denegata.
23. Tenzell, Inceptor, Facult. juridicae Decanus: l. b. s.
(ad Disputationem in aq. Johannis Fidenxi May
invitata).
24. Tenzell, Inceptor, Facult. juridicae ... Decanus:
l. b. s. (ad Disputationem in aq. Caroli Christiani
Merrii invitata.)
25. Tenzell, Inceptor, Facult. juridicae Decanus l. b. s.
(ad Disputationem in aq. Johannis Ulrici Hegligerstedti
invitata).
26. Tenzell, Inceptor: De condemnatione in expensas litium.
27. Winckop, Suburbanus legitimus: De eo, quod circa principis imperii
dispositionem testamentariam, iustum est.

13

F. 14. num. 6.

1732, 1

A

B. 344.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
 DE
FIDE VASALLITICA
 STATVVM
 IMPERII S. R. GERMANICI
 QVAM
 INDVLTV
 MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
 IN PERANTIQVA ERFORDIENSI ACADEMIA
 PRO GRADV
 ET CAPESSENDIS RITV MAIORVM
 HONORIBVS PRIVILEGIISQVE
 DOCTORALIBVS
 PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
 SVBMITTIT
CHRISTIANVS ADOLPHVS GVNTHER.

A. M DCC XXXII. DIE VIII. MARTII.





GENEROSO
ET MULTIS VIRTUTVM AC DO-
CTRINAE LUMINIBVS
CONSPICVO
GVILIELMO ERNESTO
KELLNERO

INAUGVRALE ACADEMICAЕ ERVDI-
TIONIS DOCUMENTVM
EDENTI
IO. PHILIPPVS SLEVOGTIVS
FELICITATEM.

NEMINEM quemquam ad oti-
um & voluptates vocat respu-
blica: homines sibi quærit, quo-
rum consilio atque opera serue-
tur incolumis ac florens; aut vbi labefactari
coeperit, in statu meliore collocetur. Tu
igitur, GENEROSE KELLNERE, fu-
turi prouidus, satisque gnarus, non missum
te in Academia[m], vt numerum duntaxat au-
geres

geres, & constitutum umbraticis studiis spatium contereris; quidquid ex pertinaci labore taedii abstergere nimium multos solet, fortiter contempsisti, abiectis blanditiis voluptatum omnibus, ut maior ex sollertia tua parentibus ac patriae nascatur voluptas. Dum enim tuas strenue res curas, reip. simul agis negotium: praeparando te magis magisque, ut quas aliquando tibi imposuerit partes, tanto obire rectius promptiusque possis. Ac sane illa siue naturalis, siue quaesita ex assidua consuetudine constantia, hunc tibi insignem gignet fructum, ut admotus publicis negotiis, non perhorrescas ad eorum magnitudinem aut cumulum, tanquam inuadenti undique hosti repente obiectus; nec temere ipsa eorum mole opprimaris: sed tanto robustiore aggrediaris pectore, quanto diutius ferendis molestiis es exercitatus. Neque tamen morosam apud nos vitam sequutus fuisti, instar Timonis torui omnem hominum auersando
con-

consuetudinem: nec illa quotidiana mortuo-
rum familiaritas mores tuos minus ciuiles fe-
cit, quam vllius æqualium, congressu viuo-
rum, vltra quam necesse aut ex vsu est, gau-
dentis. Quin læto semper animo ipsam tibi
solitudinem, præterquam quod scholarum
frequentatione, siue leges, siue exoticæ lin-
guæ, siue artes etiam docerentur, interstingue-
res, iucundam concinnasti, excitando te qui-
bus honeste poteris modis, & ardui iuris, cui
dicatus es, seueritatem alterna vice suauissimis
temperando fidibus. Iam vero superatis
Themidos scopulis, dudum promeritam ca-
piti tuo coronam petis; simul vt publico or-
natus elogio reddas te patriæ conspectiorem.
Lætabuntur, vt sic loquar, pii maiorum tuo-
rum manes, non sola se suorummet merito-
rum memoria in terris adhuc agere supersti-
tes; sed viuere in te etiam, tuaque opera per-
recturos quam plurimis prodesse. Laetabitur
impense amplissimus genitor, ad quem efflo-
rescen-

rescentes ex ingenii tui cultu honores; maiorum praeludia dignitatum, velut ex optima semente messis, in curæ suae & impendiorum solatium sese diffundunt. Quid ego faciam? Fausta quaeque comprecor; vtque diu tu, diu Parens & Patria vberimos laboris tui fructus capiatis. Vale.



CONSPECTVS.

- I. *Instituti ratio.*
- II. *Feudorum & vasallorum origo.*
- III. IV. & V. *Causae feudorum.*
- VI. *Feuda ab initio fuerunt precaria, & beneficia.*
- VII. *Quomodo in illis successum fuerit?*
- VIII. *Quando hereditaria extiterint?*
- IX. *Variorum & auctoris de hac materia sententiae.*
- X. *De obligatione vasalli ad fidem domino praestandam.*
- XI. *Quid & quotuplex sit fides?*
- XII. *Quid sit fides vasalli imperialis? cui formula iuramenti fidelitatis annexa.*
- XIII. *Cui haec fides praestetur principaliter, imperatori aut imperio?*
- XIV. *An vasallorum imperii feudalitium sacramentum simplex vasallagium, an homagium sit?*
- XV.

- XV. *Origo & forma antiqua iuramenti fidelitatis.*
- XVI. *An leuitas in promittenda fide temporum antiquiorum simplicitati imputanda sit, aut an arcanum politicum denotauerit?*
- XVII. *Sollemnitates huic iuramento consuetae.*
- XVIII. *Hae tamen olim aliter a vasallis ecclesiasticis, aliter a secularibus obseruatae.*
- XIX. *Quae hodie diuersitas?*
- XX. *Praestari potest per procuratores.*
- XXI. *In quibus casibus necessario?*
- XXII. *De remissione huius iuramenti.*
- XXIII. *Quomodo praestetur a minoribus & impuberibus?*
- XXIV. *Quis praestet, si plures sint vasalli?*
- XXV. *Conclusio.*

I. Qui



I.

Qui argumentum sibi excolendum sumunt, si ab omni retro antiquitate prima rerum initia & progressionem indagant, lectoremque in ipsius tractationis penetralia admittunt, non singulari cum fructu in eodem versantur. Liceat ergo & mihi de fide vasallitica, quarum vasallus S. R. Germanici imperii imperatori & imperio praestare tenetur, acturo, ut fundamenti loco per pauca saltem de origine feudorum vasallorumque praestream, atque dein naturam & formam fidei, ea qua potest fieri brevitate, proponam.

II.

Quod si vero vetera historiarum monumenta excutiamus, in illis fere locis tantum, quos vel Germani primum infederunt, vel postea peragraverunt, feudorum iura recepta fuisse adparet: quibus dein accedit, quod mores & instituta feudorum genio atque indole antiquorum Germanorum perapte conveniant, siquidem fidelitate &

virtute bellica eosdem apud exteros iam dudum inclaruisse constat (1.); ut ergo necessum non sit de feudorum & vassallorum origine plura proponere, cum feuda a Germanicis primum populis inuenta, ab iisque mox ad alias quoque gentes traducta fuisse differte habetur, (2.) licet explicite satis non constet, cui speciatim populo, an Francis, an Longobardis, origo haec debeat. (3.)

- (1) *Vi Frisii olim exclamauerint: Nullos mortalium armis aude fide ante Germanos esse*, TACITVS *Lib. XIII. annal. cap. 54. n. 5.*
- (2) *Conf. GEORG. ADAM. STRUVIUS Syntagm. Iur. feud. Cap. I. aphor. III. & IV. p. m. 8. seqq. CVNRAD. RITTERSHVSIVS Libr. I. Partit. Iuris feudalis quest. 2. seqq. CHRISTOPH. BESOLDVS in Vesaur. Pract. pag. 526. seqq. Voc. Lehen. HVBERT. GIPHANIUS, Autonomia Iur. feud. cap. II. §. 1. 5. sect. IV. §. 1. seqq.*
- (3) *Originem feudorum Francis adscribit, CAROLVS MOLINAEVS Comment. in Consuetud. Paris. Tit. I. de feud. n. 4. 12. seqq. conf. CASPAR. HEINR. HORNIUS in Iurisprudent. feud. Cap. I. §. 16. p. m. 9. Contra vero Longobardorum partibus fouet, GVIDO PANCIROLLVS Vesaur. Var. lectio. Lib. I. c. 90. circ. fin. aliique.*

III.

Sed ratio instituti feudalis a prima statim origine diuersa fuit. Principes enim Germanorum, ad terras suas tuendas, ad se defendendum, ad amplum

amplum comitatum habendum (1.), ad plebem
faciliori modo domandam (2.), fideles comites-
que quosdam habuerunt, quibus credibile est,
concessa fuisse non solum plebeia ac minori no-
bilitate eminentia, sed etiam maiori dignitate
fulgentia praedia, feuda dein vocata (3.), sub con-
ditione fidei & servitii militaris.

- (1) Quod adparet ex TACITI Libro de morib. Germ. cap. XIV.
Vbi refert: Principes amplo comitatui studuisse, quam ex bello
aluerint, inter alia haec scribens: Cum ventum in aciem, tur-
pe principi, virtute vinci: turpe comitatui, virtutem principis
non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac pro-
brosam, supersites principi suo ex acie recessisse. Illum de-
fendere, iuri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare,
praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugna-
bant, comites pro principe.

Et pertinere huc quoque videntur iuris
civilis textus:

Veluti in L. III. §. ult. ff. de re militari: Qui praepositum suum
protegere noluerunt, vel deseruerunt, occiso eo, capite puniun-
tur. Et L. VI. §. 3. d. T. qui in acie prior fugam fecit, spe-
lantibus militibus, propter exemplum capite puniendus est,
& §. pen. qui praepositum suum non protexit, cum posset, in
pari causa falliori habendus est: si resistere non potuit, par-
tendum ei.

- (2) Hinc recte TRITHHEMIVS annal. ad ann. 618, Dagobertus
Rex regnum tam per se, quam per duces & comites bene dis-
posuit &c. Idem ad ann. 641. sub rege Sigeberto erant in ple-
visque locis, sine provinciis sub ditione Sigeberti, & maioris
domus, Pipini, constituti reguli, duces, comites, & praefecti,
quorum administratione populus regebatur &c. add. HINCK-

MARVS RHEMENSIS de potestate regia & pontificia Cap. XIV. ap. MELCHIOR. GOLDASTVM Tom. I. monarchiae pag. 7. & B. RHENANVS L. II. German.

- (1) De derivatione vocis: feudi, vid. GEORG. ADAM. STRV-VIVS Syntagm. iur. feud. Cap. I. aphor. l. n. 3; seqq. & SAMVEL. STRYCKIUS Examin. iur. feud. §. 1. pag. 26. & CASPAR. HENR. HORNIVS Iurisprud. feud. cap. II. §. 2. p. 42.

IV.

Germani dein victores sub fidei lege nexu- que feudali fundos quosdam partim devictis

(1) eos sibi devicturi, partim iis, qui ipsis fide- lem in bello operam praestiterant, concess- runt. (2)

- (1) Sic de Longobardis Herulorum terras occupantibus, scribit ALBERT. CRANTZIUS L. II. Daniae c. 2. Longobar- dii, inquiens, humanum fuit de accepta aliena provincia vel partem relinquere antiquis possessoribus. Huc quoque pertinet IOAN. BODINVS L. II. de Republ. c. II. qui ita scribit: Longobardos, Alemannos, & Francos dominatum rerum omnium se occupasse, et nemo terrae glebam, nisi eorum be- neficio possideret. Romanos vero, et ceteros fere populos, ca- ptiuos suos in servitutem redegerit: expugnatas autem urbes ac populos devictos agri parte septima multasse, eamque col- loniis civium Romanorum adsignasse.

- (2) Quod confirmant ipsae leges & mores feudales, ex quibus ad- paret, feuda propter militiam esse constituta, in iisque Gasal- li, milites saepius vocantur, conf. II. feud. Tit. 21. & 22.

Et testatur porro de hoc argumento AELIVS LAMPRI- DIVS in Vita Alexandri Severi apud FRIDER. STLBVR- GIVM Tom. II. historiae aug. Cap. 58. de Alexandro Severo ita scribens: Sola quae de hostibus capta sunt, limitaneis dis- tribuitur

ibus & militibus, donabit, ita, ut eorum ita essent, si heredes eorum militarent, nec unquam ad priuatos pertinerent: dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. Addidit sane his & animalia, & seruos, ut possent colere, quod acceperant: ne, per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina barbariae: quod turpissimum ille ducebat.

— Add. FLAVIUS VOPISCVS in Vita Probi imperat. *ibid.* pag. 293. CAROL. DV ERESNE in glossario voc. feudi pag. 406. & Illustris Dn. D. IO. IACOB MASCAV Consil. Aulic. Reg. Pol. & Elect. Sax. Geschichte der Deutschen Lib. V. S. 54. pag. m. 194.

V.

Et tandem ipsi fundorum & terrarum domini vel ex singulari deuotione erga superiores, vel necessitate coacti, aut se dedentes, aut tutelam quaerentes, potentioribus se & res suas sub eiusmodi conditione feudali subicere.

Vid. FRIDR. LINDENBROG. in Cod. LL. Germ. indice voc. *vassus*. HENR. a ROSENTHAL Tractat. de feud. Cap. II. conclus. 24. n. 1. CHRISTOPH. BESOLDVS. Thesaur. Pract. Lit. a. n. 102. Verb. aufgetragene Lehen.

Exemplum praebet comitatus VValdecensis, quippe qui imperio in feudum oblati est, & habetur formula oblationis der Ufftrags-Brief, apud LEOPOLD. ALBERT. SCHOPPIVM in Thesaur. feodal. Pract. Cap. I. Sect. 8. pag. 133. De ducatu Brunsvicensi & Luneburgensi refert HERMAN. CONRINGIUS ad Lampadium Cap. III. 5. & 28. pag. 201. quod hi ducatus ab Otone de Luneburg veluti patrimoniales imperio in feudum oblati fuerint.

VI.

VI.

Atque his expositis modis plurima in Germania feuda introducta adhuc vigent. Fuit tamen horum feudorum prima ratio, ut ex beneficio fidelitatis iure tantum precarii fierent, (1) & nemo suam ceu propriam, sed alienam & publicam regni ditionem administraret, (2) unde & instar feudi communis & plebei beneficii non inepte adpellantur (3), latiore scilicet sensu & hoc inprimis respectu, quo ipsa concessio gratuita, hoc est, absque pretii solutione vel alius rei commutatione facta.

(1) *vid. cit. IOAN. BODINVS de republ. Lib. III. Cap. 5. p. 483. ubi verba ita sonant: In hoc (Francico) imperio duces, comites, marchiones, & qui arcus prouinciarum habent, a principe iurisdictionem ac imperium olim habuere precarium; deinde Capeti concessu, perpetuum; tandem, hereditario iure in masculos transmissum &c.*

(2) *Conf. VADIANVS de Collegiis & monasteriis Germaniae veter. L. I. apud MELCHIOR GOLDASTVM Tom. III. rerum Alemannicarum pag. 35. §. 1. 2. & IOAN. BODINVS de republ. Lib. III. cap. 5. pag. 483. add. MVNSTERVS Lib. III. Cosmograph. cap. XX. pag. 450. Herzoge, Markgraffen, Pfalz-Graffen, Graffen und Ritter sind zu denselbigen (Carolingorum) Zeiten nur Nahmen der Vemter gewesen, und nicht erbliche Herrlichkeiten. Sie sind Amt-Leute der Könige gewesen in den Landen und Märkten, über welche sie verordnet waren; Die Herzogthum, Markgraffschaften und Graffschaften sind den Königen, Kaysern und des Reichs Landschaften gewesen &c. Et GREGORIVS TVRON.*

RONENSIS Lib. IV. cap. XIII. & Lib. VIII. cap. XXVI. seqq. allegat exempla ducum & comitum proscriptorum, muneris & dignitatis priuatorum, damnatorumque ob contumaciam, audaciam & leuitatem. Iunge his, quae habentur in lege Boeuariorum Tit. II. cap. 9.

- (3) Vid. II. feud. Tit. XXIII. Est autem beneficium, nihil aliud quam beneuola actio, tribuens gaudium capientibus: capientique tribuendo: in id quod facit prona: & sponte sua parata: Vt ait SENEGA L. I. de benef. 6. Huius autem generis species quaedam est beneficium illud, quod ex beneuolentia ita datur alicui, Vt proprietatis quidem rei immobilis beneficiatae penes dantem remaneat: vsus fructus vero illius rei ad accipientem transeat.

VII.

Nec regulariter in iis aliquis posterorum successit, nisi ex speciali gratia & voluntate principis (1), & si inprimis regno fidus prudensque fuisset compertus (2), iustamque aetatem consecutus. (3)

- (1) Vid. HINCKMARVS l. c. pag. 201. & ANTON. DADINVS ALTESERRA de ducibus & comit. provinc. Lib. I. c. 3. NITHARDVS L. III. Histor. pag. 464. seqq.

- (2) Vid. B. RHENANVS Lib. II. Germ.

- (3) In quantum obseruata sit aetas, adparet ex loco annalium Metensium ad ann. 867. facta mentione Hugonis abbatis, Roberto duce in bello Normannico interfecto, vel propterea surrogati, quod huius filii iustam aetatem nondum haberent. Verba: Siquidem Odo & Robertus, filii Roberti adhuc paruuli erant, quando pater extinctus est; & id circo non est illis ducatus commissus &c. add. REGINO ad ann. 867. pag. 48. 49.

B

VIII.

VIII.

Quicquid autem ab initio Germanorum populi beneficiali lege virtutis ratione inter bene meritos suos per modum feudi, distribuerunt, illud dein successu temporis (1) iure hereditario a vasallis possessum est, sed de tempore, quo in primis vasalli feuda iure hereditario possessa tenuerunt, non satis explicite constat.

(1) quod adparet ex loco IOAN. BODINI de republ. Lib. III. cap. 5. pag. 483. supra ad s. VI. n. 1. alleg.

IX.

Sunt variae variorum de hac materia sententiae, alii enim ad Ottonum, alii ad Conradi I. & II. alii ad Henrici IV. alii deinde ad Suevicæ familiae imperii, & ut vulgo loqui amant, ad interregni magni tempora referunt, hereditaria illa incrementa, quæ regales & ducum & comitum dignitates vna cum ipsis ditionibus in imperio coeperint. Sed verissime fateor temporis momentum hoc certo statui aut definiri non posse. Per ipsam enim historiarum seriem plenius cognosco, huiusmodi commutationem sub vno eodemque tempore nunquam, sed sensim, longoque sæpius intervallo temporis interiecto, contigisse. Nam modo hoc, modo illo imperatore

tore regnante, modo hac, modo illa occasione feudistae suam potentiam ob fidem, ob reiteratam virtutem sensim adeo auxerunt, vt omnes imperatorum, si ab vltimis ex Merouaea stirpe prognatis regibus Francorum & Carolo M., qui tamen arrogantiae molimina ducum comitumue, labente Francorum imperio mota, circumcidere laboravit quidem, sed penitus haud valuit, initium faciam, contribuisse quid videantur, quod ad feudorum imperialium hereditatem maioremque vasallorum auctoritatem & potestatem plurimum fecerit.

conf. omnino STVMPPF. *chron. Helvet. Lib. IV. cap. 29.*
 Denn es ist die bey den Kaysern aufkommene *Sublimation* nicht einmahls und zugleich, sondern einzeln weis, nach und nach, sonderlich bey den *Prælaten*, und gleichsam ohnvermerkt eingeschlichen. *add. IOAN. GVILIELM. ITTBRVS, de feudis Cap. I. §. 13. & 14.*

X.

Sed vt ad rem perueniam. Quando dominus virtutis & fidelitatis praemia soluerit, vasallus, quisquis ille sit & secularis & ecclesiasticus & dignitate superior, inuestitus obligatur ad fidem specialiter (1) domino praestandam (2); cum fides a nullo feudo regulariter abesse possit. vid. HVLDERIC. ab EYBEN *Elect. iur. feudal.*

Cap. XXI. §. 9. & GEORG. ADAM STRVVH
Syntagm. iur. feudal. Cap. IIX. aphor. 3. n. 2.
p. 265.

- (1) *alia enim est fides quam communiter homo homini debet, arg. L. 3. in fin. de iustit. Et iure, alia specialis quae singulari contractu feudali, de quo hic sermo est, promittitur.*
- (2) *In quo vero fides illa, ad quam vasallus se obligat, consistit, traditur II. feud. Tit. VI. patetque ex formula iuramenti proposita. II. Feud. Tit. VII.*

XI.

Haec vero fides, si late spectatur, iusiurandum est, quod a vasallo praestatur, per II. Feud. Tit. IV. vbi triplex fidelitas indicatur: alia quae vulgo vocatur, *Lehn-Pflicht*, quam praestare debet vasallus ratione ipsius feudi, & quatenus vasallus est; alia domesticitatis, siue familiaritatis vel officii, vulgo *Amts-Pflicht*, quatenus certum officium vel feudum a domino habet; alia tandem subiectionis, vulgo *Huldigung*, quatenus subditus domini est, & quatenus iurisdictio domini feudi iuncta: quae etiamsi in vno subiecto concurrant, distingui tamen debent.

XII.

Si vero fides haec specialiter & in sensu nostro consideratur, est iusiurandum, quod vasallus imperii

imperii, intuitu feudi imperialis imperio, aut eius nomine imperatori, aut interregni tempore vicario, praestat ad fidelitatem, reuerentiam & obedientiam illi exhibendam, getreulich, gehorsam und gewärtig zu seyn. Quod patet ex formula iuramenti electorum secularium, quae habetur in SAMVEL. STRYCKII Exam. iur. feud. append. n. XV. p. 514. quam hic inferre necessum duxi:

Euch, dem allerdurchl. großmächtigsten, unüberwindl. Fürsten und Herrn, Herrn LEOPOLDO, erwehnten Römischen Kayser, Unserm allergnädigsten Herrn, geloben und schwören wir N. N. als vollmächtige Gewalthabere des Durchlauchtigsten, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn N. N. Unsers gnädigsten Herrn, im Nahmen und die Seel Ibro Churfürstl. Durchl. auf das Heil. Euangelium, so wir hiermit leiblich berühren, in Krafft und nach Inhalt des von Ibro Churfürstl. Durchl. empfangenen und zum Kayserl. Reichs-Hoff-Rath übergebenen Gewalts, daß dieselbe von der Lehen wegen, so Ibro anteko verliehen worden, nun hinführo von dieser Stund Ew. Kayserl. Majestät und allen Deroselben Nachkommen am Röm. Reich, Röm. Kaysern, und Königen und dem Reich treu, hold, gehorsam, und gewärtig, auch nimmermehr wissentlich in dem Rath seyn sollen, noch wollen, da etwas wider

wider Ew. Kayserliche Majestät Person, Ehre, Würde oder Stand gehandelt oder fürgenommen würd, noch darinn willigen oder gehelen, in einige Wege, sondern Ew. Kayserl. Majestät Derofelben Nachkommen und des Heil. Reichs Ehr, Nutz und Frommen betrachten und besördern, nach allen Ihrem Vermögen, und, ob Er. Churfürstl. Durchl. indes verstünden, daß etwas fürgenommen oder gehandelt würde, wider Ew. Kayserl. Majestät Person, oder das Heil. Reich, dem sollen und wollen Er. Churfürstl. Durchl. getreulich vor seyn, und Ew. Kayserl. Majestät dessen ohne Verzug warnen, und sonst alles das thun, das sich einem gehorsamen Churfürsten und getreuen Lehens Mann gegen Ew. Kayserl. Majestät und dem Reich zu thun gebühret, von Reichs und Gewohnheit wegen, getreulich und ohne arge List; Als Seiner Churfürstl. Durchl. GOTT helffe und das Heil. Euangelium.

XIII.

Hoc sacramentum vasalliticum exhibetur ab vasallo imperatori, qua tali, & imperio; unde & coniunctim imperatori & imperio fidelium & obedientem se futurum esse pollicetur :

Ew. Kayserl. Majestät allen Derofelben Nachkommen am Reich, Römischen Kayser und Königen und dem Heil. Reich, getreu, hold, gehorsam, und gewärtig zu seyn, &c.

&

& porro : und sonsten alles thun, das einem gehorsamen Churfürsten und getreuen Lehnsfürsten gegen Erw. Kayserl. Majest. und dem Heil. Reich zu thun gebühret, von Rechts oder Gewohnheits wegen.

quod §. praeced. demonstraui & ex allegata iuramenti formula vberius constat.

XIV.

An vero tale sacramentum ad fidelitatis, ratione rei in feudum datae, aut, an ratione personae ad subiectionis iuramentum pertineat? quaesitum fuit inter doctores; quod imperiales vasalli non ad fidelitatem tantum, gehorsam und gewärtig zu seyn, praestandam, in iuramento illo fidelitatis se se obligare soleant, sicque fidelitatem vasalliticam vna cum subiectione comprehendi & antiquorum monumentis (1) & ipso vsu doceatur. Sed cum indubitatum subiectionis argumentum ex hoc eruere non licet, & insuper etiam clausula iuramenti inserta, von Rechts oder Gewohnheits wegen, difficile sane est, discrimen hoc suppeditare; accedit & his, quod neque imperii vasallorum conditio in sublimi posita permittat, vt iusiurandum hoc stricte dicto subiectionis homagio aequiparetur, neque imperii vsus suadeat, plenam subiectionis vim atque

atque efficaciam huic iuramento tribui, siquidem imperator plenum dominium in vafallos imperii non exercet.

- (1) ita in diplomate erecti ducatus Luneburgensis, quod anno 1354. exaratum est, expresse habetur, ducem illum Romanorum regi debita & solita iuramenti fidelitatis, obedientiae & subiectionis praestitisse. Vid. HENRIC. MEIBOMIVS in opusculo histor. p. 514.

XV.

Origo iuramenti fidelitatis est cum feudis ipsis, & saltem de forma formulae constat, quod non vno eodemque modo semper a vafallis iuratum sit, cum feuda vnusmodi non sint omnia, nec obligationes vbique vniformes. Et historiarum monumenta docent, quod antiquissimis temporibus breuiter & sine verborum ambage sacramenta haec vafallitica praestita fuerunt. (1)

- (1) De quo SIGONIVS Lib. VII. de regno Italiae pag. m. 176. qui III. vtiatas fuisse formulas iuramenti fidelitatis notat: Vnam breuem, qua Carolus M. est usus: Promitto me domino meo Carolo, & filiis eius fidelem futurum in tota vita, sine fraude, doloque malo. Altera aliquando vberior: Iuro ad haec sancta Dei euangelia, me imposterum fidelem ei futurum, & vafallum domino, nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, enuntiatum in eius detrimentum scienter. Et si de familia, aut iurisdictione eius erat, addebat: Et vitam, membrum, mentem, & eius relictum honorem seruaturum. Tertia omnium latissima fuit: Ego iuro super haec sancta Dei

Dei euangelia, me imposterum, dum viuam, fidelem futurum tibi N. domino meo contra omnes homines, excepto imperatore, aut rege, id est: Iuro me nunquam scientem autorem futurum, aut operam dauurum, ut amittas vitam, membrum aliquod, aut laesionem aliquam corporis accipias, aut iniuriam, aut contumeliam, aut honorem aliquem amittas, quam nunc habes, vel imposterum habebis. Et si sciuerō, aut audiuerō, aliquem haec aduersus te moliri, pro viribus impedimentum afferam. Sin minus, tibi primo quoque tempore nunciabo, & contra eum, quoad potero, tibi auxilium praestabo. Et si quid ex iis, quae habes, aut habebis iniuste, aut fortuito amittes, ad ea recuperanda, & in perpetuum conseruanda opem feram. Et si cognouero, uelle te aliquem iniuste offendere, si requisitus fuero, meum tibi subsidium, ut debeo, praestabo. Et si quid mihi secreto communicaueris, id iniussu tuo non enuntiabo, neque ut enuncietur operam dabo. Et si consilium a me petieris, id quod magis expedire tibi visum fuerit, dabo, neque sciens, aliquid unquam agam, quod pertineat ad tuam aut tuorum iniuriam, aut contumeliam. Congruit cum hoc uasallagium quod extat II. feud. V. & VII. Nec uberior est fidelitatis iuramentum, quod Caroli Calui tempore a Francis eidem praestitum fuit, his uerbis: Ego (ille) Karolo, Ludouici, filio ab ista die in ante fidelis ero secundum meum fauorem, sicut Francus homo per rectum debet esse suo regi: Sic me Deus adiuet & istae reliquiae. Vid. MELCH. GOLDASTVS Const. imp. Tom. III. p. 140. Interdum etiam prolixiori iuramento tam ecclesiasticos, quam laicos fideles Carolinis temporibus usus esse constat. Vid. PETR. PITHAEVS in annal. hist. Franc. p. 508. seqq. MELCH. GOLDASTVS diſt. Tom. p. 290.

XVI.

Sed haec ita fuerunt, temporibus priscis, & nescio sane, an haec leuitas in promittenda fidelitate temporum antiquiorum simplicitati impu-

C

tan-

tanda sit, aut, an hoc laxius beneficiarium vinculum arcanum politicum & status quandam rationem denotauerit, quod etiam probabile videretur. add. IOAN. HENRIC. BOECLER. notit. imper. Lib. V. c. 3. p. 83. Hodie feudalitia sacramenta vberiori plerumque stilo arctiorique formula concinnata esse, vsu doceor, (1) cum tamen prioribus seculis longe addictiori obsequio vassalli & minorum & maiorum feudorum imperatoribus subfuerunt, atque nunc, vbi multis modis imminutam atque restrictam imperatoris potestatem in imperiales vassallos deprehendo.

(1) *Quod patet ex formula iuramenti II. feud. VII. proposita, cuiusmodi etiam hodie adhibere solet, vid. HENRIC. BOECLERUS de inuestit. feudor. Cap. IV. n. 20, add. SAMVEL STRICK, in append. iur. feud. aliique.*

XVII.

Quemadmodum vero, quo homines majorem cum veneratione ad iurandum accederent, ceremoniae quaedam externae a plurimis retro seculis in actu iuratorio adhibita fuerunt, & in primis circa iuramentorum ritus in certarum rerum tactu aliquid arcani quaesitum fuit, siquidem ab ethnicis sollempniter iurantibus altare tactum (1), ab Romanis lapis manu tentus (2), in veteri testamento manus femori apposita (3),

(3), cetera : ita quoque in causis vassallorum praestationem iuramenti multa comitantur sollemnia, pro diversitate tamen & feudorum & locorum diversa, de quibus videatur fufius CAROLVS du FRESNE glossar. ad voc. hominium p. 755. seqq. & IOAN. LIMNAEVS Lib. IV. cap. VII. pag. 78. praesertim antiquis iam moribus receptum fuit, ad sacras scripturas, ad sancta Dei euangelia, nec non super reliquias sanctorum iusiurandum praestare (4).

(1) De quo VIRGILIUS meminit Lib. XII. *Aeneid.*

Tango aras, mediosque ignes & numina testor.

(2) Et ERASMVVS *Chil. Lib. II. cent. 6. adag. 33. refert,* quod postmodum iuratus lapidem, si quantia fieri poterat maxima proiecerit, ex hoc proverbum :

Lapidem Iovem iurare

enatum fuerit. Quoniam lapis eo animo proiectus sit, ut scienter falleret iurans, Iupiter ita eum eiecisset bonis, salua arce & vrbe, & ipse lapidem.

(3) Quod videre est ex forma & ratione iuramenti, quam seruus Abrahamo praestitit. *Gen. XXIV. v. 9. & iuramentum hoc per femur adpellatur. conf. GVNDLINGIANA Pari. IV. thes. 2. s. 2. p. 312.*

(4) *Vid. Textus II. Feud. II. II. feud. Tit. V. & VIII. L. 20. C. d. rebus credit. & Caroli Calui ordinationes, quae habentur apud MELCHIOR. GOLDASTVM Tom. III. constit. imper. pag. 290. plurimaeque allegatae extant apud CAROLVM du FRESNE loc. cit. Soc. iuram. pag. 155.*

XIII.

Haec tamen differentia subsuit, vt laici tres

C 2

pri-

primores dextrae digitos elevatos euangelio imponerent: clerici autem tres dextrae digitos pectori admotos & euangelium saltem in conspectu habentes, sacramentum vasalliticum praestarent, sicuti quoque de electorum secularium & ecclesiasticorum iuramento ante caesarem electionem praestando, expresse disposuit aurea bulla cap. II. §. I.

(1) *de origine & progressu huius differentiae* Vid. CASPAR. BITSCHIVS *Comment. in consuet. feudor. ad II. feud. tit. V. p. 240. seqq.*

XIX.

Sed hodie nulla differentia habetur, & vno eodemque modo a principibus tam ecclesiasticis quam secularibus, digitis scilicet sancto euangelio impositis, vasallagium imperiale iuratur, adhibeturque formula: Ita me Deus adiuuet & hoc sanctum euangelium.

Quod notat & exemplo electoris Colonienfis illustrat SAMVEL. STRYCK. *in append. ad exam. iur. feud. n. XIV. p. 511. quam formulam subiungere duxi:*

Euch, dem alldurchlauchtigsten, großmächtigsten, unüberwindlichsten Fürsten und Herrn, Herrn LEOPOLD, Röm. Kayf. Unserm allernädigsten Herrn, von wegen und als gevollmächtigte Gewalthabere des Hochwürdigsten, Durchlauchtigsten, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Maximilian, Heinrichs, Erz-Bischoffen zu Eßln, des Heil. Röm. Reichs durch Italien Erz-Canzlers und Churfür-

Fürstend, Bischoffs zu Hildesheim, und Lütlich, *Administrato-*
ris der Stifter Berchtesgaden und Stablou, in Ober-
 und Nieder Bayern, auch der Oberrn Pfalz Herzogen,
 Pfalz Grafen beyrn Rhein, unser gnädigsten Chur Fürsten
 und Herrn, geloben und schweren wir Franz Egon, Graf
 zu Fürstenberg, Heiligenberg und Werdenberg, Land Gra-
 fen in der Bahr und Stillingen, der Erz- und hohen
 Thum Stifter Eöln, Straßburg und Lütlich, *respective*
 Thum Dechanten, Thum Custoden und Capitularen, und ich
 Franciscus Mayer, der Rechten D. im Nahmen Ihrer
 Churfürstl. Durchl. und in die Seel abgedachtes unser
 gnädigsten Churfürsten und Herrn, auf das *H. Euangelium*,
 so wir hiermit lieblich berühren, in Krafft und nach In-
 halt des von Ihrer Churfürstl. Durchl. empfangenen, und
 zum Kayserl. Reichs Hoff Rath übergebenen schrifftl. Ge-
 walts, das Ihre Churfürstl. Durchl. von Dero *Regalien*
 und Lehn wegen, über das Erz Stifte Eöln, wie auch über
 die Stifter Hildesheim, Lütlich, Berchtesgaden und
 Stablou, welche Erz- und Stifter Ihrer Churfürstl.
 Durchl. anitz zu Lehen verlichen werden, um hinführo von
 dieser Etund an, Ew. Kayserl. Majest. allen Derselben
 Nachkommen am Reich, Röm. Kayser und Königen und
 dem Heil. Reich getreu, hold gehorsam und gewärtig seyn,
 auch nimmermehr wissenlich in dem Rath seyn sollen,
 noch wollen, da ichten etwas wider Ew. Kayserl. Majestät
 Person, Ehre, Würde oder Stand gehandelt oder finge-
 nommen würde, noch darin willigen oder gehellen, in eini-
 ge Wege, sondern Ew. Kayserl. Majest. und des *H. Reichs*
 Ehr, Ruh und Aufnahmen, betrachten und befördern, nach
 allem Ihrem Vermögen. Und ob Ihre Churfürstl. Durchl.
 indes verstünden, daß etwas fingenommen oder gehandelt
 würde, wieder Ew. Kayserl. Majest. Person oder das *H.*
 Reich, demselben wollen Ihre Churfürstl. Durchl. getreulich
 vor seyn; Und Ew. Kayserl. Majest. dessen ohne Verzug
 warnen, und sonsten alles thun, das einem gehorsamen
 Churfürsten und getreuen Lehns Fürsten gegen Ew. Kayserl.
 Majest. und dem *H. Reich* zu thun gebühret, von Rechts
 oder Gewohnheit wegen; getreulich ohne arge List und Ge-
 feh.

lehre, als Ihre Churfürstl. Durchl. GOTT helffe und das
Heil. Euangelium.

XX.

Tale iuramentum, vt dixi §. X., exhibent omnes tam clerici (1) quam seculares imperii vasalli, quatenus scilicet imperii feuda tenent, praestaturque actu corporali & ab ipsis, & etiam a procuratoribus eorum speciale mandatum habentibus, qui in animam, vt loquuntur, vasalli iurant, quod Germanorum simplicitas, fidesque, sollemnia nescia, non solum indulget, sed etiam ex communi feudali & Germaniae consuetudine receptum esse constat, eo quidem effectu, vt absentem non minus, ac si praesens fuisset, deuinciat (2). Equidem non desunt, qui hunc modum, vt absenti iurare liceat per procuratorem, impugnarunt, & ob anceps periurii periculum improbarunt penitus (3): Sed si rem accuratius perpendo, non est, vt huiusmodi iuramenti vsus in vniversum damnetur. (4)

(1) Constat ex historiis sub regibus Francorum etiam personas ecclesiasticas & episcopos sacramenta fidelitatis ipsis regibus praestitisse. vid. LEHMANNI chron. Spirens. cap. 41. add. PETERVS PITHAEVS in annal. Franc. pag. 506.

(2) conf. Dn. IOAN. PETR. de LVDVVIG dissertatio de maxim. principum per procuratores, vbi sparsim multa egregia de hac materia leguntur.

(3) *vid. CVNRAD. RITTERSHVSIVS Part. feud. lib. I. cap. IX. quæst. 5.*

(4) *Quæ opinio etiam placet SAMVEL. PVFFENDORFF. in iur. nat. & gent. Lib. IV. cap. II. s. 16. add. IOAN. SCHILTER, exerc. theor. præct. XXIII. ad ff. s. 36. seqq.*

XXI.

Obferuatur etiam hic modus necessario in feudis, quæ collegio, ciuitati, monasterio, &c. conceduntur. Cõnuenit enim tunc non singulos ciues, collegas, monachos iurare, sed monasterii, vniuerſitatis nomine abbatem, ſyndicum, &c.

XXII.

In genere vero fidelitatis iuramentum nunquam remittitur, niſi ipſa feudi eſſentia interuertatur, cum promiſſio fidei ad naturalia & eſſentialia feudi maxime pertineat, vid. ſupra deducta §. X. & II. feud. tit. III. in ſin. In caſu vero quando remittitur, qui tamen rariffime contingere poteſt, nihilominus ad omnia ea, quæ alias iuramento a vaſallo præſtando continentur, ipſe eſt obligatus, non enim promiſſio fidei & obligatio ad fidem faciendam, ſed modus ſolum promittendi fidem per iuramentum eſt remiſſus. vid. text. ſup. allegat.

XXIII.

XXIII.

Sed, quid si minores & impuberes sint vassalli? Equidem si communia iuris feudalis placita excutiamus, differenda iuramenti praestatio vsque dum ad maiorem aetatem peruenerint, & ipsi habiles sint, ad iurato promittendam fidem (1): verum ipsum fidelitatis iuramentum a tutoribus pupillorum nomine iuxta receptum imperii usum subinde praestatur (2).

(1) *vid. II. feud. tit. XXVI. §. 1. add. IOAN. SCHILTER. exercitat. theor. pract. XXXVII. ad ff. §. 3.*

(2) *Quod multis exemplis comprobari potest. Ita Francisco I. Lotharingiae duce defuncto, cum legati Lotharingici ad Carolum V. imp. missi essent, rogaturi, ut Carolus dux Francisci filius adhuc pupillus a praestatione homagii aliquamdiu excusaretur, in consilio decretum est: Quod tutores eiusdem illustrissimi Caroli ducis secundum morem imperii debeant pro pupillo praestare iuramentum & accipere inuestituram de feudis ab imperio dependentibus. Vbi autem pupillus ad aetatem legitimam peruenerit, ipsemet renouare tenebitur, Et haec omnia commemorat IOAN. CHIFFLETIVS comment. Lothar. cap. XI. qui & mox ipsam iuramenti a tutore postea praestiti formulam ex cancellaria imperiali subnectit, add. MVLLERVS ab BHERNBACH in etologia cap. III. n. 5.*

XXIV.

Si vassallus moritur, heredes eius ad fidelitatem iurato pollicendam tenentur, quod etiam obseruatur secundum iura Longobardica II. feud.

feud. tit. XL. Sed quaeritur: an plures vasalli successores communiter feudum imperii possidentes, singuli iurare debeant? quod usus docet. Exemptam vero ab hac lege serenissimam domum Brunsvicensem & Luneburgensem per speciale privilegium a Carolo V. concessum deprehendo, ita, ut familiae senior reliquorum nomine iuramentum fidelitatis imperatori & imperio praestare teneatur.

Conf. SAMVEL, STRTCKIVS exam. iur. feud. in append. pag. 519.

XXV.

Atque ita exposui materiam de fide vasallitica statuum S. R. Germanici imperii per iuramentum fidelitatis praestanda, ea qua fieri potuit brevitate, si forte quaedam menti non consona praeter intentionem exciderint, haec B. L. pro propensione sua in me benigna ut corrigat, vehementer rogo

T A N T V M.

ERFORDIAE,

LITTERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

Erfurt, Diss., 1732

ULB Halle 3
005 355 680




V D 18



F. 14. num. 6.

1732,1

A



B.I.G.

Farbkarte #13

RTATIO INAUGVRALIS
 DE
VASALLITICA
STATVVM
 RII S. R. GERMANICI
 QVAM
 INDVLTV
 IFICI ICTORVM ORDINIS
 TIQVA ERFORDIENSI ACADEMIA
 PRO GRADV
 SSENDIS RITV MAIORVM
 ORIBVS PRIVILEGIISQVE
 DOCTORALIBVS
 ERVDITORVM DISQVITIONI
 SVBMITTIT
 VVS ADOLPHVS GVNTH^{ER}.
 MDCCLXXXII. DIE VIII. MARTII.

